



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Analysis Methodica Ivris Pontificii

Venator, Daniel

[S.l.], 1579

VD16 V 541

De Testibvs Cogendis, vel non. Titulus XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

392 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
DE TESTIBVS COGEN.
dis, vel non.

Titulus XXI.

CV M publicè interfit, reuelata veritate, vni-
cuiq; ius suum conseruari, testes à litigato-
ribus nominati, etiam inuiti, quandoq; e-
uocantur, & ad dicendum testimonium pœnali-
bus mandatis per iudicem ordinarium, vel eius
commissarium compelli possunt: maximè, si nul-
lo excusationis priuilegio sint muniti, & se gra-
tia, timore, vel odio, ferendo testimonio subtra-
hant, c. dilectorum, & c. i. ext. eod. An autem, in
defectum aliorum testium, illi, qui excusatione
legibus merentur, inuiti ad testimonium dico-
dum compellantur: Vt sunt valerudinarius, se-
nex, miles, publicanus, qui abest ex probabili &
necessaria causa, & qui lege Iulia iudiciorum pu-
blicorum continentur, putà, gener, vitricus, so-
brinus, libertus, contra priuignum, sobrinum,
vel sobrinam, & liberos eorum, patronum, ali-
quæ qui ratiõe suâ vel causæ priuilegiati sunt: Et
licet sint, qui eos inuitos, excepta causa matrimo-
nij & hæreseos, nō cogi putent, quasi hoc priuile-
gium eis à lege indultum, nusquam inueniatur
ademptum secundùm l. sancimus, C. de test. Ta-
men consentanius est, si res aliter probari non
possit, præmissa monitione, etiam per Ecclesia-
sticam censuram, in causa ciuili, vel criminis ci-
uilitè intétati eos compelli posse, c. cum super,
extr. eod. c. peruenit ad nos, extr. eod.

Et

Et est ratio. Quia iudex, ad eliciendam veritatem, omnem lapidem (vt dicitur) mouere debet. Accedit, quod veritatem occultans mortale peccatum committat. Non debet igitur prætextu alicuius priuilegij supprimi, cuius reuelata veritas, litigatorẽ, qui aliàs ius suũ deducere & probare non potest, in iudicio subleuaret, c. peruenit ad nos, extr. eod. 11. q. 3. c. quisquis, extr. de crimine falsi, c. 1. Panor. c. 1. extr. eod.

A X I O M A T A.

Compelluntur testes, etiam in criminali, quos accusatus malitiõse accusatori subtraxit, c. peruenit ad audientiam, extr. eod.

Tam in causa ciuili, quàm criminali monendi & inducendi sunt testes ad testificandum, & si se odio, gratia, vel amore, subtraxerint; nec aliter veritas haberi possit, etiam per suspensionis, excommunicationis, & depositionis sententiam sunt compellendi, c. 1. c. 2. c. cum contra, & c. delictorum, extr. eod. c. peruenit ad nos, extr. eod.

Deficiente probatione multi admittuntur & coguntur, qui aliàs non cogentur, c. quoties, & c. tam literis, extr. de testib.

Qui veritatem occultat, mortale peccatum committit, c. quisquis, 11. q. 3.

Clerici ad dicendum testimonium, ne à diuinis auocentur, cogi non debent, possunt tamen in defectum probationum, & in rebus Ecclesiæ cogi, c. statuendum, 2. q. 6. c. cum nuncius, extr. de testib.